



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris
Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtru[m] iudicium sit actus iustitiæ? 1

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

- ¶ Quarto, vtrum dubia sint in melioram partem interpretanda?
 ¶ Quinto, vtrum iudicium semper sit secundum leges scriptas proferendum?
 ¶ Sexto, vtrum iudicium per usurpationem perueratur?

ARTIC. I.

Vtrum iudicium sit actus iustitiae?

A D primum sic proceditur. Videtur, quod iudicium non sit actus iustitiae. Dicit enim Philosophus in 1. Ethic. * quod unusquisque bene iudicat quæ cognoscit: & sic iudicium ad vim cognoscitiam pertinere videatur. Vis autem cognoscitua per prudentiam perficitur. Ergo iudicium magis pertinet ad prudentiam, quam ad iustitiam, quæ est in voluntate, ut dictum est *.

¶ 2 Præterea, Apostolus dicit 1. ad Corinth. 2. Spiritualis iudicat omnia. Sed homo maximè efficietur spiritualis per virtutem charitatis, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, ut dicitur Roman. 5. Ergo iudicium magis pertinet ad charitatem, quam ad iustitiam.

¶ 3 Præterea, Ad unamquamque virtutem pertinet rectum iudicium circa propriam materiam: quia virtuosus in singulis est regula & mensura, secundum Philosophum in lib. ethic. * Non ergo iudicium magis pertinet ad iustitiam, quam ad alias virtutes morales.

¶ 4 Præterea, Judicium videtur ad solos iudices pertinere. Actus autem iustitiae inuenitur in omnibus iustis. Cum ergo non soli iudices sint iusti, videtur quod iudicium non sit actus proprius iustitiae.

SED contra est, quod in Psal. 93. dicitur, Quoadusque iustitia conuertatur in iudicium.

R E S P O N D E O dicendum, quod iudicium propriè nominat actum iudicis, in quantum iudex est. Iudex autem dicitur quasi ius dicens. Ius autem

334
In. q. 63
a. 4. cor.
et 1/ai. 5
loc. 6. pr.
*l. 1. c. 3.
tom. 5.

q. 58. a. 4

1. 3. ethic.
c. 5. ad. 5.
to. 5.

c. forus
de ver.
fign.

q.57. a. 1 tem est obiectum iustitiae, ut supra habitum est*. Et ideo iudicium importat secundum primam nominationem, diffinitionem, vel determinacionem iusti sive juris. Quod autem aliquis bene diffiniat aliquid in operibus virtuosis, propriè procedit ex habitu virtutis: sicut castus rectè determinat ea quæ pertinent ad castitatem. Et ideo iudicium quod importat rectam determinationem iusti, sive eius quod est iustum, propriè pertinet ad iustitiam. Propter quod Philosoph.in 5. ethic.dicit*, quod homines ad iudicem configuiunt sicut ad quamdam iustitiam animatam.

*c.4. pau
lo ante
med. 10. 5

Ad primum ergo dicendum, quod nomen iudicij, quod secundum primam impositionem significat rectam determinationem iusitorum, ampliatum est ad significandam rectam determinationem in quibuscumque rebus, tam in speculatiis, quam in practicis. In omnibus tamen ad rectum iudicium duo requiruntur: quorum unum est ipsa virtus proferens iudicium. Et sic iudicium est actus rationis: dicere enim vel diffinire aliquid, rationis est. Aliud autem est dispositio iudicantis, ex qua habet idoneitatem ad recte iudicandum: & sic in his quæ pertinent ad iustitiam, iudicium procedit ex iustitia: sicut & in his quæ ad fortitudinem pertinent, ex fortitudine. Sic ergo iudicium est quidam actus iustitiae, sicut inclinantis ad recte iudicandum: prudentia autem, sicut iudicium proferentis. Vnde & synesis ad prudentiam pertinens dicitur bene iudicativa, ut supra habitum est*.

q. 51. a. 3 Ad secundum dicendum, quod homo spiritualis ex habitu charitatis habet inclinationem ad recte iudicandum de omnibus secundum regulas diuinæ, ex quibus iudicium per donum sapientiae pronuntiat: sicut iustus per virtutem prudentiae pronuntiat iudicium ex regulis juris.

Ad tertium dicendum, quod aliae virtutes ordinant

nant hominem in seipso. Sed iustitia ordinat hominem ad alium, ut ex dictis pater *. Homo autem est *q. 58. a. 2* dominus eorum, quæ ad ipsum pertinent: non autem *q. et 10.* est dominus eorum quæ ad alium pertinent. Et ideo in his, quæ sunt secundum alias virtutes, non requiriatur, nisi iudicium virtuosi, extenso tamen nomine iudicij, ut dictum est *. Sed in his quæ pertinent *In isto a.* ad iustitiam, requiritur ulterius iudicium alicuius superioris, qui utrumque valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus. Et propter hoc iudicium specialius pertinet ad iustitiam, quam ad aliquam aliam virtutem.

Ad quartum dicendum, quod iustitia in principe quidem est sicut virtus archetonica, quasi imperans & præcipiens quod iustum est: in subditis autem est tamquam virtus executiva & ministrans. Et ideo iudicium, quod importat diffinitionem iusti, pertinet ad iustitiam secundum quod est principalius modo in præsidente.

ARTIC. II.

Vtrum sit licitum iudicare?

335

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod non *Inf. a. 3.* sit licitum iudicare. Non enim infligitur pena *et 6. et q.* nisi pro illicito. Sed iudicantibus imminet pena, *et 67. ar. 1.* quam non iudicantes effugient, secundum illud *Mat. et 4. d. 45* *thzi 7.* Nolite iudicare, ut non iudicemini. Ergo iudicare est illicitum.

Et Ro. 1.

¶ 2 Præterea, *Roman. 14. dicitur*, Tu quis es, qui *cor 3. pr.* iudicas alienum seruum? suo domino stat aut cadit. *Et c. 14.* Dominus autem omnium Deus est. Ergo nulli homini licet iudicare.

co. 3. fi. et 1. Cor. 4.

¶ 3 Præterea, Nullus homo est sine peccato, secundum illud *1. Joan. 1.* Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipso seducimus. Sed peccanti non licet iudicare, secundum illud *Rom. 2.* Inexcusabilis es o homo omnis qui iudicas. In quo enim alterum iudicas, te ipsum condemas; eadem enim agis quæ iudicas. Ergo nulli est licitum iudicare.

SED